



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

§. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

„orabat: exterior enim reuerentia multum iuuat
 „deuotionem internam. Ad quam vt se prouoca-
 „ret, sibi ipsi dicebat: cogitabo saepius quomodo
 „Angeli in Dei conspectu versentur, cum consci-
 „entia scilicet valde pura, & intima reuerentia: &
 „me aspiciens pudore suffundar, quod cum illa pu-
 „ritas mihi desit, deficiam quoque in exhibenda
 „reuerentia. Memor quoque ero eius, quod dixit

a Job. 4:3. Deus apud Job: a Non parcam ei, & verbis poten-
 tibus, & ad deprecandum compositis: nam quod be-
 nè ores, (vt exponit Sanctus Gregorius) non in
 eo consistit, vt composita verba proferas: sed vt
 in amaros gemitus orando prorumpas. Ordina-
 riè orabat solus absque socio adiuuante, vt diu-
 tius oraret, possetque in sensis, quæ Deus commu-
 nicaret, hærere, ac frui: quorum etiam testes non
 habere cupiebat. Ex frequenti etiam vnu Psalmo-
 rum in suis exhortationibus; & Spiritu, quem ex
 eis hauriebat, aduertebatur horum interiorum
 eius sensuum magnitudo. perpendebat enim val-
 dè quodlibet eorum verbum. Imo etiam, cum
 se cruce sancta signaret, valde erat exactus, singu-
 lari quadam deuotione sanctam hanc crucis ce-
 remoniā formans: dedit enim illi Deus, vt sen-
 tiret, cum se cruce signaret, ac diceret: In nomine
 Patris, & Filii, & Spiritus sancti, tres diuinæ per-
 sonas benedictionem suam illi impartiri, cum ip-
 se earum nomine id faceret.

§. I.

MULTO tamen magis eius deuotio appa-
 rebat in sacro Missæ, ad quod magna se
 diligentia præparabat: studendo, maxi-
 mam conscientiæ suæ puritatem habere: saepius
 capi



eam in die examinans, suo^{que} defectus frequenter confitens; & aliquid temporis recollectioni tribuens, antequam ad celebrandum accederet. Et quidem, etiam si multæ evenirent occupatio- nes, & impedimenta, quotidie celebrabat, etiam cùm iter ficeret: quamvis alias commo- ditates hanc ob causam esset relicturus: & incom- moda ac pericula etiam magna subiturus: quem- admodum illi accidit in itinere Romano eundo & redeundo per Galliam, dum per multa loca hæretica transiret: nihilominus enim nunquam sacram facere prætermittebat. Faciebat autem Sa- crum diu; & cum tanta quiete ac deuotione, ut et- iam eam in Auditoribus excitaret. Et quidam de nostra Societate fassus est, se, cùm sacerdotalis esset, ad eam ingrediendam fuisse permotum cùm vi- deret deuotionem, modestiam, grauitatem, & tantam totius hominis compositionem, in ipso Sacro, ac Officio diuino quod peregit in hebdo- mada sancta. Et quædam alia persona, quæ etiam lucidores habebat oculos, (fuit autem B. Mater Theresa Dei Iesu) audiens quadam die eius Sa- crum, vidi eum toto tempore, quo Sacrum dura- uit, habuisse in capite diadema quoddam magni splendoris, indubitatim indicium magnæ chari- tatis ac deuotionis internæ, qua Sacrum faciebat. Aliquando ad illud faciendū recipiebat se ad se- paratum aliquod sacellum, solum cum ministro; & tunc solitò diutius hærebat, iuxta gratiam, & visitationem diuinam, quam à Deo accipiebat, & quidem frequenter: quamobrem in suis necessita- tibus, temptationibus, angustijs, & arduis negotijs refugium habebat ad sacram Missæ, ubi magnam

E 3

Deus

Deus veritatum lucem, magna^{que} Spiritus sensa
magn^e consolationis, instructionis, ac respiratio-
nis ei cōmunicabat circa ea, quae acturus aut pas-
surus erat; quorū inferius fuit mentio. Huius quo-
que erat magnum indicium, & commune in ore
multorū huius Prouinciae, quod scilicet aliquan-
do inter celebrandū ei loquerentur Angeli custo-
des eorum, quorum pse Confessiones audiebat, &
cum quibus versabatur: ei ruelantes, qua re indi-
geret anima illa, quae ipsi esset cōmendata. Et cū
quidam Pater Societatis, valde ipsi familiaris, cō-
munem hanc vocem ei significaret, & cōfiderer,
an ita esset, interrogaret: vir Sanctus valde eru-
buit; nec tamen verbū vllum respondit: quod non
est leue veritatis indicium. nam alioquin, vt erat
ille humillimus, statim rem eleuasset, ac respon-
disset, decipi, qui talia cogitarent: quare verecun-
do illo silentio, annuere visus est. Quam ob rem
sancta illa mater Theresia de Iesu in libro suo di-
xi: (quod paulo post videbimus) sanctissimum
Sacramentum huic seruo Dei (qui eius erat Con-
fessarius) magnum lumen dare, ad res eius, quæ ex-
traordinariæ, valdeq; excelsæ erant, intelligen-
das, ac penetrandas: hoc insinuans, quod ipsem
Deus per se, aut per Angelū suum sanctum eas illi
in Sacro Missæ manifestaret. Nec mirum quod SS.
Angeli, qui iuxta cōmunem sacrorum Doctorum
fensem altissimo huic Missæ Sacrificio assistunt,
obseruantes insignem deuotionē, qua magnus hic
Sacerdos illud offerebat, ibi cū eo colloqueretur:
eumq; docerent, q; ipse ad gloriā Dei nosse cupie-
bat; & extimularet ad suum ministerium cum ea
dignitate & sanctitate, quā eius celsitudo exigit,

pr-

*Martinus
Alarconius
qui Burgis
obijt.*

Cap. 8.

præstandum. Et hic fortè specialis illa eius deuotionis solū ad custodes Angelos; sed nominatim (vt ipse scriptū reliquit) ad eum, qui Sacrificium Altaris Deo offert: de quo in ipso Canone Missæ dicitur: *Iube hæc perferri per manus S. Angeli tui,* *S. Thom. 3.*
 Siue is Angelus Sanctus, aliquis sit eorū, qui ad al. p. q. 83. 4. 4.
 fistendum ibi sunt constituti, tam ob reuerentiam ^{ad. 9.}
 tantæ maiestati, ibi existenti debitam, q̄ ad ipsum
 Sacerdotem iuuandum: vt illud cum debita reue-
 rentia ac deuotione offerat, cuius m̄t̄hus etiam est
 (vt in Apocalypsi habetur) ^a *offerre Deo oblatio-* ^{a Apoc. cap.}
nēs & orationes Iustorū; siue sit Angelus ipsius Sa. 8. 3.
 cerdotis celebrantis custos, cui efficacius tunc as-
 sistit, ad prædicta hæc Officia erga eum præstan-
 da. Sacro ipso finito, manebat per mediā minimū
 horam in magna sui recollectione, ac deuotione,
 gratias Deo agēs, p̄ accepto tanto beneficio: & ibi
 interna sensa & Illustrationes spirituales erant
 frequētiores, vt colligitur ex ijs quæ in suo libel-
 lo scripsit: sæpè dicens: sibi eas cōmunicatas post
 Sacrum finitum, quorum hic aliquas, quæ ad hoc
 propositum magis spectant, ponemus.

VNA fuit ipso die Epiphaniæ: finito, inquit, Sa-
 cro, recordabar felicitatis istorū Regū; & optans
 mihi eandē, audiui respōsum internū dicētis: illi
 eum adorarūt; sed tu int̄ receptum tecū portas,
 quasi ei dictum esset: maior est tua felicitas, & Iu-
 storū, ac Sacerdotū huius temporis: qui nō solum
 Christū adorant, sed etiam verē & realiter eundē
 accipiūt in sanctissimo sacramēto, q̄ secū portat.
 Sed quoniā non oēs ita hoc præstant, vt deberent,
 alium internum sensum dedit ei Dominus in illis
 verbis Euangelij illius diei; b *Ecce Magi.* Mirū est b *Matt. 2. 11.*

„ quod Reges diuites, ac sapientes querant Deum,
 „ mirum, stupendum! sed cur adeo stupendum? quia
 „ necesse est cadere idola, si velint, ita arcā recipi-
 „ re, vt cōmodum inde sentiant. In nobilibus debet
 „ ruere honor; in diuitibus deliciæ; in sapientibus
 „ tumēs superbia: quæ illi plurimū amant; & ne de-
 „ serant, statuunt potius Dei arcam à se reiijcere, ac

c1. Reg. 57. dimittere, dicentes id quod Philistæ olim: c Non
 maneat arca Dei Israel apud nos, quoniam dura est
 manus eius super nos. in quib⁹ verbis effecit Dominus,
 vt ille causas intelligerer, cur multi, præcipue
 nobiles, diuites, ac deliciosi recusent accipere ar-
 cam viuam noui testamenti in sanctissimo Sacra-
 mento latentē; aut eam recipient cūm exiguo fru-
 etu: quia scilicet volunt in altari cordis sui idoli
 Dagon, rem scilicet illā creatā, quam inordinate
 diligūt retinere, quæ nisi in terram cadat, & mor-
 tificationis gladio, ita eius caput, ac manus am-
 putent; vt ampliū non audeat cogitare, loqui, aut
 facere quod solebat: non efficiet in tali corde di-
 uina hæc arca, stupenda misericordiæ suæ opera;
 sed Iustitiae, puniendo illos magna ariditate, tene-
 bris, cordis duritia, alijsque internis desertioni-
 bus: donec verè se emēdent, aut indurati, arcā à se
 reiijciant, iudicātes esse graue, & plane insulsum,
 frequenter cōmunicare. Ex quo prouenit, vt quæ
 admodū unus ideinq; Sol, atq; ignis lutū indurat,
 cerā verò liquefacit: ita, qui hunc Dominū susci-
 piunt, si sunt tanquam lutū, verè indurentur; si aut
 tanquā cera, liquefiant eius amore. Alia vice hunc
 ei sensum internū Dominus dedit: si animæ nostræ
 vita sufficiens sibi est, & corpori, cui vnitur, eius
 que partib⁹ omnib⁹ etiā minimi digiti vngulæ, &

mini-



minimo pilo: quanto magis vita Christi, quæ est " vita Dei, sufficiet sibi, & animæ, ad quam in hoc " Sacramento venit. Hoc enim est, quod ipse Do- " minus dixit: dicitur *Sicut misit me viuens Pater, & ego* " d *Iohann. 6.* *vito propter Patrem, & qui manducat me, ipse vi-* " 58. *uet propter me.* Dicat igitur anima statim post Communionem: vita tua Domine utriusque suf- " ficiet, tua Sanctitas, tua Potentia, tua Divinitas: " modicum fermenti totam massam sapidam red- " dit: & tu in medio cordis existens non reddes il- " lud sapidum: & intelligat anima, causam, cur " duram se in Comunione sacra sentiat, solere esse " propterea, quod cum dono acceperit ipsum Do- " minum, non satiatur tanto dono: & diuertens ab " eo oculos, eos coniicit in teneros sensus & lacry- " mas, quas desiderat: quare iuste punitur in eo, ut " minus donum non accipiat, quæ maiori non sa- " tiatur. Quod si dicas, te id facere, ut ipsi magis " placeas: respondet ipse animæ tuæ: insignis i- " gnorantia esse, cogitare Domino ipsi alia via, & " ratione placere, quam ipse velit; & præstare, eius " diuinæ prouidentiæ id committere; teque pati- " entiæ virtute armare. Additque, quando Deus in " animam venit, non relinquere bona sua domi, non " oculos misericordes, non dulcedines & suauita- " tes, nec suas potentias, & excellentias, nec vacu- " um, sed plenum venire, quare qui Deum habet, om- " nia bona habere: & optimam viam valdeq; com- " pendiosam ad omnia possidenda esse, oculos ab " eis auertere, ipsumq; solum desiderare; nec desiste- " re, donec illum valde sibi vnitum habeat; & tunc " Davidis illud implebitur: et *Satiauit animam in-* e *Psal. 106.* *anem: & animam esurientem satiauit bonis.*

E 5

S. I. HYNC